

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1763**

Hesso

[urn:nbn:de:bsz:31-295084](#)

pars ulla, donec masculi ex alterutro fratre descendentes superfuerint, transiret ad feminas. Factum hoc ante Nativit. B. Virg. 1386. Tum quoque Fridericus de Blanckenheim, Argent. Episcopus, vicum Herbolzheim, ad Bleicham, Brisgoviae & Ortenaviæ limitem, in Marca Ettenheimensi situm, fratribus his abstulit. Pauci, teste WIMPHELINGIO, (q) tum laici, tum sacerdotes, e vivis exceperant, ad quorum bona manus suas rapaces Episcopus hic non extenderit

Anno 1394. decimas in Büsesheim, Alsatiae superioris vico, Hamanno Schultheissio, civi Brisacensi, una cum Paulo Morfero, Armigero, Johannes vendidit. Posthaec rara Johannis in Chartis mentio. Vixit in coelibatu, ultra An. 1408. superstes, quo literas advocati in Baldingen sigillo suo munivit.

## H E S S O.

### §. X V.

Acta vivo  
fratre  
Ottone.

Marggravius Hesso de Hachberg An. 1376. sigillo suo Chartam Tennebacensem munivit. Liberorum Hessonis de Usenberg tutor fuit, ut in Usenbergicis docetur.

An. 1382. Eberhardo & Werlino, civibus Brisacensibus, vicum Achtkarren, sub Höingen situm, reservato sibi reliuionis jure, vendidit,

(q) In Catalogo Episcopor. Argent. pag. 98.

A. 1384. Marggravius Hefso de Hahberg , Dom. in Hœhingen , consensu fratum suorum , Ottonis & Johannis , feudum Dynastiae Usenberga, quam Hachbergici tum possidebant, Johanni Druchleffio contulit. Anno sequenti Leopoldus , Dux Austriæ, inter Fridericum, Episcopum Argent. & Hessonem Marchionem, pacem conciliavit Friburgi , hac lege , ut Hefso Episcopum , contra quemvis , exceptis tantum Dominis ejus directis , ex Castro Hœhingen per tres annos juvet , & 400 florenos quotannis ab Episcopo vicissim accipiat.

### §. XVI.

An. 1387. Marchio Hefso de Hachberg , Dominus in Hœhingen , fratribus S. Pauli Eremitæ Ord. S. Augustini in Nimburg (r) cœnobium S. Petri in monte *Keyserstul* fuaque Dynastia Hœhingen situm , ut & ecclesiam & jus patronatus in Vogtsberg tradidit , eosdemque fratres in tutelam suam recepit ac protectionem , ea lege , ut alium Advocatum , aut in ulla Imperii urbe jus Civitatis si unquam acceperint , beneficio hujus donationis exciderent.

(r) Monasterium hoc Eremitarum S. Augustini olim fuerat in *Obernimburg* , leuca distans Emmedinga ; deinceps destructum . Locus hodie in manibus Marchionis Bada-Durlacensis , ut possessoris Hachbergæ . Brisaci circa A. 1270. aliud Monast. Eremitarum S. Augustini conditum est.

An. 1388. die Martis post Purificat. Mariae Marchio Hesso de Hachberg & Comes Walraf de Thierstein ab Episcopo Basiliensi Immerio feuda, quæ Usenbergii tenuerant, his extinctis accepere. Eodem anno Sulzbergam ab Ottone de Staufen 500. marcis argenti Hesso vel emit vel reluit, atque a Monasterio Virginum Benedictini instituti, quod ibidem sub invocatione S. Cyriaci viguit, Advocatus eligitur, quod datis ei literis protectionis ipse testatur.

An. 1390. die Sabbati post Crucis inventionem Hesso filium suum Henricum, adhuc puerum, Margarethæ, quam Anna, Comitissa de Nellenburg & nata de Tierstein, ex priore suo marito, Martino Malterero, suscepserat, despondit. (s) Eodem anno vallem *Brechta* a Johanne Jun. Comite de Habsburg Lauffenburgicæ lineæ, in feudum se tenere profeßus est. (t)

An. 1392. die Lunæ post S. Otmaris Wernherus de Hornberg, Miles, & uxor ejus, Anna de Usenberg, partem suam Caſtri & Dynastiae Höhingen pro 5000. florenis, ut & Caſtrum Triberg pro 3000. aureis Brifaci vendiderunt Hessoni, qui anno sequenti vendoribus his vicum Brockingen ad dies vitæ conceſſit; futurus Annæ Usenbergicæ heres.

An. 1395. vicum Eiftatt cum jure patronatus ejus a Conrado, Comite Friburgensi, suscepit in feudum. §. XVII.

(s) FOERSTERUS.

(t) Charta ap. HERRG. Cod. Dipl. num. 883.

## §. XVII.

Intercessit tum inter Heffonem March. & Johannem Meinwartum, Militem, gravis discordia, quæ ut terminaretur, Lites variæ decisiæ fæ.

res ad arbitros delata est, quibus Engelhardus Winspergius, Advocatus provincialis Austriacus, praesedit. Hic pridie S. Martini Brifaci pronuntiavit sententiam, qua Heffoni jus vicum Bischoffingen ex Mainwarti manibus redimendi negatum, solique Annæ Usenbergicæ, Wernheri de Hornberg uxori, tributum. Marchio damna, Meinwarto ejusque hominibus in Schallingen illata, ducentis & viginti aureis Rhen. resarcire jussus est.

A. 1399. Eberhardus Wirtenberg. Comes item inter Heffonem March. de Hachberg, Casparum de Clingenberg, ejusque uxorem Margaretham Malteriam Heffonis filio Heinrico, uti diximus, antea desponsatam, composuit his legibus :

I. Marchio conjugibus his vicum Eiftatt, partem Castrum Haideburg curiasque Friburgi reddito;

II. Jus reluendi vicum Eiftatt servato;

III. Curias Braiteberg conjuges a Marchione, si dominium suum directum probaverit, in feudum accipiunto.

IV. Marchio Johanni Ramsteinio de custodia Castrum Haideburg a filii sui Henrici morte satisfacito.

A a a

V. Instrumenta bellica, quæ ante captum a Marchione Castrum Haideburgi erant, ibidem manento.

VI. Conjugum jus pignoratitium in vico Brockingen antiquatum esto &c. Datum Stutgardiae die S. Joh. Evangelistæ.

### §. XVIII.

Reliqua  
Hessonis  
Acta.

Anno 1400. Anna de Usenberg, Duci Reinoldo de Urslingen tum nupta, Marchionem Castrum Triberg omniumque bonorum suorum, coram judicio aulico Rotwileni, heredem instituit.

Anno 1401. Marchio Hesso aliquot metallifodinas in Sulzberg elocavit, decimasque in Bischoffingen, a Dieterico de Keppenbach, Ord. Johannitici Equite, sibi comparavit.

Anno 1403. & 1404. litem cum Johanne de Lichtenberg coram judicio Rotwileni contestatus est, victorque in possessionem bonorum Lichtenbergicorum in Ingweiler, Sponeck, Busweiler & Weisweiler immissus est.

Anno 1404. die Lunæ post S. Jacobi Civitas Brisacensis contra Hessonem Marchionem pronuntiavit sententiam, qua Hanemanno Snewelino de Landeck, Militi, jurisdictio vindicatur areæ, cui Landeck olim impositum fuerat.

Eodem anno, Marchione accusante, Vicedominus in Hohenstein, & de Haslach in Bruscanæ Alfatiæ Valle, a judicio Rotvilano proscripti sunt. Tum quoque Hesso Marchio Hachbergæ

& Turingus de Ramstein litem propter Heimersdorff, Sundgoviae vicum, cum Ludovico de Gliers, Frobergae Domino, composuerunt.

Anno 1405. filiam suam Margaretham Friderico Comiti Leining. cum dote 1600. aureorum, pro quibus vicus Uringen pignori datus est, in matrimonium collocavit, quae mater Friderici Hessonis & Friderici minoris a Leiningen facta, filiis his suis occasionem praebuit, ut jura quædam in Marchionatum Hachbergensem sibi vindicarent. Eodem anno 1405. die Sat post S. Mart. Rupertus Rex Rom. bellum, inter Marchionem Hessonem, & Ludovicum, Dynastam Lichtenb. de Castro & vico Weisweiler gestum, compositurus, æquum utriusque jus Heidelbergæ addixit. Biennio post Lichtenbergensis partem suam Egenolfo & Johanni de Rathsamhausen fratribus, consensu Marchionis, vendidit.

Anno 1407. Heffo jus patronatus in Cappel, feudum Ecclesiæ Argent. Wilhelmo Episcopo refutavit; accepto vicissim jure patronatus in Nimburg. Eodem anno idem Heffo Hamanne Snewelino, Militi, vicum Mündingen cum omnibus ejus juribus pro 500. aureis in feudum contulit, hoc pacto, ut post 10. annos redimi possit. Heffo, tum temporis a Rep. Argent. in civem receptus, Senatui porrectis digitis jusjurandum præstítit. (u)

A a a 2

(u) WENCKER *Collect. Jur. publ.* pag. 17.

## §. XIX.

Heffonis  
mors.

Uxores.

Filia.

Filii.

**A**nno 1410. Marchio Heffo ex vivis excessit, ultra 60.  
annos natus.

Bis nuptias celebraverat. Primas cum Agneta, Henrici de Gerolzeck filia; secundas cum Margaretha, filia Conradi, Comitis Palatini de Tübingen, Herrenbergæ arcis herede.

Ex hac genuit Margaretham, Friderico Comiti de Leiningen nuptam; (x) ex illa tres filios suscepit.

Filii fuere Henricus, Otto & Heffo, quorum primus Margarethæ Malteriæ, de qua supra, desponsatus quidem fuit, sed ante nuptias obiisse videtur. Inter mortuos jam collocatur anno 1399. in Literis, quibus Eberhardus Wirtenbergæ Comes patrem ejus cum Caspero de Clingenberg hujusque uxore, ut supra vidimus, reconciliavit. Ottонem & Heffonem fratres, Marchiones de Hachberg, cum ipsorum patre Charta An. 1406. prodit, qua redditus XXXIV. floren. Gözoni Liebermanno, Militi, adscripserunt, dederuntque fidejussores Hermannum, Com. Sulzensem, Ducem Reinoldum de Urselingen, Burcardum de Stauffen, Dietericum Snewelin, Hamannum Snewelin de Landeck, Milites, Jo.

(x) PISTORIUS Heffoni aliam insuper filiam tribuit, Agnetem, Friderici Ortenburgici Comitis uxorem.

Zumwiger & Dietericum Kotzen, Armigeros. Post hæc solus  
cum patre in Chartis comparet Otto, unicus patrimonii totius  
Hachbergici heres.

## O T T O I I.

## §. X X.

Anno 1410. die Sat. ante S. Margar. Otto hic Marchio  
affini suo Friderico Leining. atque sorori suæ Margarethæ, dotis  
a matre promissæ loco, vicum Üringen tradidit. Die Merc. post  
S. Laur. vicos Schaffhusen & Betzingen Paulo Morsero, ejusque  
posterioris maribus, concessit in feudum.

*Acta ab  
An. 1410.*

Anno 1411. festo S. Lucæ Monasterio S. Petri, in monte  
*Kayserstul* ditionis Höhingenæ sito, ad mentem patris sui defuncti,  
ecclesiam & jus patronatus in *Vogtsberg*, ejusdem montis vico,  
donavit. Fridericus, Dux Austr. loco Johannis Marchionis  
Hachbergæ, Ottōnem hunc, ex fratre ejus nepotem, Endingæ  
Advocatum constituit; Neoburgi die Sat. ante S. Laur.

Anno 1412. Henrico de Wifenege vicos Denzlingen &  
Berchtoltskirchen; Jo. Oswaldo Zumwiger jus piscationis in rivo  
*Bretten* & jurisdictionem circa Castrum Weyer oppignerat Otto.

Anno 1414. die S. Jac. ob æs alienum, quod pater ejus  
contraxerat, Dynastias suas Hachberg & Höhingen Marchioni

A a a 3